

ad modium reuertar in cuius capacitate declaranda multum fallitur Perottus, qui scribit ipsum duos & uiginti sextarios continere licet ibidem legatur uitio librarij sestertios. Idem tradit modium quatuor modiolos capere, sed nullius id autoritate confirmat. Mihi quidem modiolus apud Plautum in Cistellaria mensurae genus esse uidetur, cuius uero capacitatis fuerit, fateor me ignorare. Ait autem Plautus.

Quia ei promisi modiolum uini dare.

*ἄνισιον* certe Celsus modiolum transtulit, sed in diuersa significatione. Dicta sunt à modijs Decemmodia & trimodia uasa rustica apud Columellam decem & trium modiorum. Acron uero interpres Horatii cum ait, Cumeræ dicuntur uasa minora quæ capiunt quinque siue sex modios, quæ lingua Sabinorum trimodia dicuntur: uidetur non ad uertisse trimodias à numero trium modiorum, quos comprehenderent dictas, nisi locus corruptus sit. Demensum autem quid sit ubi *ἄνισιον* declarabo dicam. Medimnū iccirco non addidi mensuris aridorum Romanis, quod Græca sit & Cicero in frumentaria non uteretur hoc uocabulo nisi de rebus Siculorum, qui non minima ex parte Græci erant, loqueretur. Satis de aridorum mensuris. Clarum ergo est quod mensurae liquorum tantum fuerint apud Romanos, Culeus, amphora, urna congius, quartarius. Aridorum solum, Modius & semodius